Zimmermann,
De aquae usu Celsiano. Part. I

Ch Bravel

DE AQUAE USU CELSIANO.

PARTICULA I.

DISSERTATIO INAUGURALIS

HISTORICO-MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI

CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

UT SUMMOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA

HONORES

RITE ADIPISCATUR

A. D. VII. CAL. MARTIAS A. MDCCCXLIV.

UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

HERM. HENR. FRID. ZIMMERMANN

THURINGUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:

J. HERDTMANN, MED. ET CHIR. DD.
E. MATTHAEI, MED. ET CHIR. DD.
F. SCHMIDT, PHILOLOG. STUD.

HALIS SAXONUM

FORMIS IMPRESSIS PLOETZIANIS.

25/6 50-



VIRO

ERUDITISSIMO HONESTISSIMO HUMANISSIMO

CHR. FRID. REISIG

QUONDAM PHARMACOPOLAE APUD LONGOSALISSENSES

FAUTORI

BENEVOLENTISSIMO VENERATISSIMO

NEC NON

VIRO

DOCTISSIMO CLARISSIMO INTEGERRIMO

C. F. A. JACOBI

SCHOLAE PORTENSIS PROFESSORI

ORD. AQUIL. RUBR. EQUITI

PRAECEPTORI

BENEFICENTISSIMO DILECTISSIMO,

VIRIS, ET CONSILIO ET OPERA OPTIME DE SE MERITIS

HOC QUALECUMQUE STUDIORUM SPECIMEN

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Medicamentis uti, nisi in vehementibus malis supervacuum est.

Cels. IV, 19.

Licetque sine peregrinis et conquisitis et compositis medicamentis vulnus curare.

Cels. V, 26, 23.

Facile autem recognitis omnibus, quae medici quoque prodiderunt, apparere cuilibet potest, vix ullum ex iis, quae supra comprehensa sunt, oculi vitium esse, quod non simplicibus quoque et promptis remediis submoveri possit.

Cels. VI, 6, 39.

Ideoque multiplex ista mediciua, neque olim, neque apud alias gentes necessaria, vix aliquot ex nobis ad senectutis principia perducit.

Cels. I, praef.

Prooemium.

Cur omnino commentationem edam, causa est mos academicus; cur autem eam, quam tractavi, materiam elegerim, paucis exponam. Cogitanti mihi saepenumero, qua de re ad summos in medicina honores rite capessendos dissererem, ante oculos obversabatur Cl. Choulanti de institutione ad medicinam liber [1]), quo omnes commentationem medicam, quam dicunt dissertationem inauguralem, studiis peractis scripturos adhortatur, ne argumenta sibi eligant, quibus pertractandis ipsi in re medica tirones pares omnino non sint; „candidato, inquit [2]) V. Cl., in dissertatione perficienda nil spectare opus est, nisi ut specimen exhibeat, quid scientia comprehensum habeat, ut ostendat, a doctrina et arte medica se ita instructum esse, ut de rebus ad illas pertinentibus solerter ac prompte et scribere et disputare possit; quo si quis tendit, jam famam apud homines doctos sibi colligendi laudemque aliquam acquirendi occasio ei data est. Qua de re vero agere sibi propositum sit, summi est momenti: materia enim vires et doctrinam exsuperante utile quidquam conficere nemo potest: si igitur medicinae studiosus in dissertatione de

1) Anleitung zu dem Studium der Medicin von D. Ludwig Choulant, Prof. der praktischen Heilkunde u. s. w. u. s. w. Leipzig, 1829. Verl. v. L. Voss.

2) l. l. p. 182 sqq.

morbo aliquo, ut de ictero, de cardialgia, de aliis, tali modo agere vult, ut peculiarem, quam monographiam vocant, ejus descriptionem edat, omnibus suis numeris et partibus absolutam, hanc magni pretii esse non posse, per se patet: nam morbum in commentatione pertractare, omnia de eo scripta colligere et digerere atque ita lucem morbo afferre, tam difficile est, ut medicus tantum, qui medicinam multos per annos exercuit simulque litteris haud parum est eruditus, se hac in re aliquid profecturum esse, sperare possit: tironi autem quin tales labores in irritum cadant, fieri non potest: qui aliorum congerit judicia atque opiniones et promiscue prodit et ad summum huic congeriei sententiam suam addit immaturam. Apta vero argumenta minime desunt: quae quamquam doctorandorum vires non superant, tamen aliis multo minus aptis rarius eliguntur. Sed omnia non possumus omnes et quisque id, quod studiis, voluntati, scientiis, ingenio maxime respondeat vel cujus occasio data sit, argumentum sibi sumat oportet." Quamobrem ut simile vitium evitem, diligenter vidi, *quid valeant humeri, quid ferre recusent,* atque ut de aquae usu Celsiano dissererem, mihi proposui, non quasi arbitrer, huic commentariolo magnam ad animos multorum alliciendos vim inesse: — nam pauci tantum medicorum antiquorum scripta cognoverunt, pauciores possident eorum libros, paucissimi tali lectioni operam dant eaque delectantur[3]): — sed hanc materiam tractavi, quod et propensioni studiisque meis valde est accommodata et haud parum utilitatis videtur continere: praeterquam enim quod ad medicinae historiam hac re aliquid afferri pot-

3) Cf. Vorlesungen über die Geschichte der Heilkunde (von D. Ludw. Herm. Friedlaender. Leipzig, Verl. v. L. Voss. 1839. p. 7 sq.

est, diaetetices quoque, hodie nimis neglectae, et hydriatices, modum excedentis, principia et in memoriam revocanda et corrigenda et amplificanda sunt: id quod quum antiquorum tum Celsi libris diligenter lectis optime fieri potest, qui sincera rerum naturae contemplatione pleni justos fines relinquere rarissime sinunt. Inter omnes quidem constat, nostro tempore praeter ceteras disciplinas rerum naturalium cognitionem vehementer esse auctam indeque et doctrinam et artem medicam summum fructum cepisse: nec minus vero multas res easque utilissimas, quae ab antiquis jam cognitae tanquam novae in lucem nonnunquam proferantur, jure meritoque oblivione esse vindicandas, pro certo affirmare posse mihi videor.

Qua de causa praecipue Celsi libri de medicina omnibus etiam atque etiam commendandi: quum praesertim faciliorem quam Graecorum scripta aditum plerisque praebeant atque elegantissime sint conscripti [4]). Sententiae meae confirmandae testes quidem, qui exstant plurimi, non sunt adhibendi, sed non possum, quin locum unum praefationis ad Celsi libros a Krause editos [5]) afferam: „juvabit sane, ait Cel. V., studiosissime legisse Celsi aliorumque veterum libros tanquam fontes, e quibus solis principia solida totius artis peti, quisque medicorum recentiorum eo lubentius confidentiusque as-

4) Cf. Friedlaender p. 141.

5) A. Corn. Celsi de medicina libri octo: ex fide vetustissimorum librorum recensuit, innumeris depravationibus partim aliunde partim a Lindenio invectis liberavit, lectionis varietates et animadversiones tum aliorum probatissimorum auctorum Caesarii, Constantini, Jos. Scaligeri, Casauboni, Almeloveenii, Morgagni, Trilleri, tum suas nec non indices copiosos aliaque adjecit Car. Christian. Krause. Lips. Sumt. Casp. Fritsch. MDCCLXVI: quam editionem in omnibus, quos citavi locos, secutus sum.

serit, quo major ipse est. Eos vero, qui vel linguarum ignorantia vel turpi ignavia vel hebeti pinguique ingenio detenti ad fontes purissimos illos non accesserunt, si quando animum ad docendum scribendumque applicuerint, poenitebit non legisse. Haec dicta sunt tantummodo his, quibus adhuc integrum est, animum ita excolere suum, ut eorum studiorum fructum capere possint. Quo enim minus illos alios tangam, eorum hominum foeda illa, quae non magis in verbis quam rebus et factis cernitur, barbaries atque simul humanitas mea prohibet.“

At ne longus fiam, in memoriam tantum revocare volo verba, quibus nuperrime praeceptor meus honoratissimus, Cel. Schoemann, in commentatione *de lithotomia Celsiana* usus est:

Legite Celsum.

I.

Quaedam de hydriatices historia ante Celsi aetatem[6]

Antiquissimis temporibus vitae ratio hominibus fuit simplicissima*): quo factum est, ut rarissime morbis laborarent, et quum forte malo quodam correpti essent, simplicissima quoque medendi ratione reficerentur. Verique simile est, ait Celsus[7], inter nulla auxilia adversae veletudinis plerumque tamen eam bonam contigisse ob bonos mores, quos neque desidia, neque luxuria vitiarunt. Siquidem haec duo corpora prius in Graecia, deinde apud nos (et alias gentes) afflixerunt[8]. Ideoque multiplex ista medicina neque olim, neque apud alias gentes necessaria vix aliquot ex nobis ad senectutis principia perducit.

Simplicissima autem medicina, *aqua,* homines jam a prima origine usi sunt[9]: aqua enim et potio et lavatio est naturalis: usus autem magis diaeteticus erat; sic in sacris *Judaeorum* libris haud raro invenitur. Balnea non minus sanitatis quam munditiae causa legibus sacris erant constituta[10] (Levitic. 14, 8. 15, 5 sqq.

6) Cf. Hydriatica oder Begründung der Wasserheilkunde auf wissenschaftlichen Principien, Geschichte und Literatur. Mit Darlegung aller neueren Schriften über Wasserheilkunde nach ihrem Inhalte und Werthe. Von Dr. Bernhard Hirschel prakt. Arzt in Dresden. Leipz. Verl. v. O. Wigand, 1840.
Balneotechnik oder Anleitung Kunstbäder zu bereiten u. anzuwenden von Dr. Christ. Heinr. Theodor Schreger. Zwei Thle. Fürth 1803.

*) Simplex sigillum veri. Boerhaave.

7) libr. I. praef. (2, 10.)

8) Cf. Friedlaender p. 15. sq.

9) Cf. Schreger 2. p. 3.

10) Cf. Schreger ibid. p. 4.

10 sqq. 13. 16. 18. 21 sq. 27. 16, 4. 24. 26. 28. 17, 15 sq. 22, 6. Num. 19, 7 sq. alibi): mulieres et virgines et ipsa regis filia fluvio lavabantur (Exod. 2, 5. Ruth 3, 3. 2 Reg. 11, 2. Ezech. 16, 9. 23, 40. Histor. Susann. et Dan. 15 sqq.): neonati aqua abluebantur (Ezech. 16, 4.). At non modo diaetetice, sed etiam pro medicina Judaei utebantur aqua; sic Naëman lepra infectus Jordanis aqua sanatus est (4 Reg. 5, 10 sqq. cf. Joh. 5, 2 sqq.). Varia quoque balneorum genera adhibebantur: aliis totum corpus (λοῦσις), aliis solae manus lavabantur (νίψις), in aliis aqua tantum adspergebatur (ῥαντισμός; cf. Epist. ad Hebr. 9, 10. 10, 22.): etiam pediluvia erant in usu (Genes. 24, 32. Evang. Joh. 13, 5 sqq.).

Aquae potus in orientis aestu illarum regionum incolis erat vere necessarius: „infiniti propemodum sunt populi tum in Africa tum in Asia aquam solam potantes, qui rectissime valent: corpora habent boni tum succi tum habitus praesertimque in locis calidis atque in summe calidis corporibus aquae usus est saluberrimus[11])." Sic et sola aqua et cum pane in vetere testamento memoratur (Genes. 21, 14 sqq. 26, 19. 32. Exod. 7, 18. 21. 24. 15, 23 sqq. 27. 23, 25. 32, 20. Deuteron. 2, 6. Judic. 7, 4 sqq. 15, 19. Ruth 2, 9. 3 Reg. 17, 4. 6. Nehem. 13, 2. Ps. 23, 2. 78, 44. Proverb. 25, 21. Jes. 33, 16. 41, 17. 49, 10. alibi): hospitibus refrigerandi causa praebebatur (Genes. 24, 11 sqq. al.): in desertis Israëlitae a Mose aquam vehementer postulant (Exod. 17, 1 sqq. cf. Numer. 20, 2. Ps. 78, 15. 20.).

Ganges[12]), maximus *Indiae* fluvius, divino honore colebatur ac *Nilus*[13]) ab *Aegyptiis* Deus habebatur et foeminas et terras fecundans: „terram[14]) enim Aegypti arenosam et omnino sterilem limo pinguissimo aquae

11) Prosper Alpinus de medicina Aegyptiorum. Denuo edidit J. B. Friedreich. Nordlingae typis C. H. Beck. MDCCCXXIX. libr. I, cap. 12 (vol. I. p. 90.) Cf. I, 8. Schreger 1. p. 3.

12) Cf. Schreger 2. p. 11. Friedlaender p. 36.

13) Cf. Friedlaender p. 49 sq.

14) Prosp. Alpin. I, 8. cf. I, 10.

larga inundatione obtegit fecundissimamque et cultui aptissimam reddit"; quamobrem cum Chaldaeis certabant, utrum aquae, an ignis Deus major esset, atque aquae Deus superior discessit, quippe qui et valetudinem confirmaret et sanitatem afferret. Omnino aquae usus apud Aegyptios fuit frequentissimus[15]): quod quidem apparet e libris Prosperi Alpini de medicina Aegyptiorum, qui hujus aetate ab antiquis suis moribus minime recesserant. „Balnea, inquit[16]), ex dulci aqua parata in usu habent frequentissimo tum ad refrigeranda corpora, tum ad varium illorum ornatum": et paulo post: „balneis illis ea gens utitur ad corporis ornatum atque ad multos morbos ex plenitudine humorum prohibendos demumque ad multos variosque obortos etiam morbos abigendos." De variis balneorum generibus dicit[17]): „Balnea illa *calida, tepida frigidaque* quolibet tempore, quando quis velit, ibi reperiet. Sed plerumque ea balnea sunt *temperate calida.* Calida[18]) enim in triplici sunt caloris differentia: etenim illorum quaedam *multum* et quaedam *parum calida* sunt, haec *tepida* atque illa *calida* medici appellant. Tertio sunt alia medio modo se habentia, quae scilicet *temperate calida* existunt." Deinde *vaporaria* quoque explicat[19]) et refert[20]), Aegyptios maximeque mulieres pro corporum abstersione balneis uti, quarum etiam pleraeque pinguedinem in iis procurent[21]), quum quo carnosiores et pinguiores sint, eo libentius se a viris expeti putent. Tum balneorum usum ad sanitatem apud eas gentes utilem narrat[22]): „scio etenim, ait Guilandinus, illos populos plurimum illorum balneorum habere usum, tum ad

15) Cf. Friedlaender p. 53. Schreger 2. p. 4. 48.
16) Prosp. Alpin. III, 15. cf. I, 2. 8, 9.
17) Ibid.
18) Prosp. Alpin. III, 16.
19) Prosp. Alpin. III, 15. Dampfbäder cf. III, 18.
20) Prosp. Alpin. III, 16. cf. I, 2.
21) Cf. Cels. I, 3.
22) Prosp. Alpin. III, 18.

ipsorum tuendam, tum ad vitiatam corrigendam atque denuo restituendam sanitatem": denique usum illum, quo se a morbis praecaveant, addit et de balneorum usu ad varios morbos persanandos tradit[23]): „Balneis illis ex aqua dulci paratis non secus quam antiqui utebantur, Aegyptii nostri temporis ad varios tollendos morbos uti solent. Usus eorum balneorum apud eos non unus observatur, sed multiplex, quando alii balneo utantur *tepido*, et alii *frigido*, eo profecto modo, quo Galen. hecticos lavandos docere in lib. 10. meth. med. videtur, attamen illis *non valde frigidis* utuntur. Hi vero observantes ex his febrilem calorem hecticorum nihil deminui, ad frigidum balneum accedunt, *sensim ac sensim ad frigiditatem per tepiditatis gradus* ascendentes: a tepido siquidem ad minus tepidum et ab eo ad frigidum et postea ad magis frigidum ascendentes: *corporaque tandem tota subito in aquam frigidam injiciunt, ut aeque simul omnes partes corporis alterentur (Tauchbad).* In putridis etiam febribus apud illos usus balneorum est frequentissimus: eo etenim in omnibus tum continuis, exceptis pestilentibus, tum intermittentibus familiarissime utuntur, non tamen in principiis, sed quando febres statum adeptae sunt, vel declinare coeperint. In his etenim *calidis balneis* singulis diebus ante cibum aegrotos immergunt eosque *ibi per horam morari* jubent." Tum loquitur de variis in balneorum usu cautionibus, quas Aegyptii quoque observabant et balneorum genus propter sudationum lavationumque frigidarum conjunctionem methodo Priessnitzianae simillimum memorat his verbis[24]): „quare in biliosis febribus atque adustis illorum balneorum ibi jure merito est frequentissimus usus. *Corporaque illa in primis in aërem temperate calidum paululum versari sinunt, in quo exudant, atque cutanei meatus laxantur*; mox oleo violaceo vel nenupharino ab iis inunguntur; et *ter-*

23) Ibid. III, 20.

24) Ibid.

tio n aquam tepefactam merguntur simuntque ibi tantisper morari, quousque aqua balnei omnem calorem amiserit frigidamque redditam aegri amplius innoxie ferre non possunt: qui e balneo educti linteis absterguntur atque exsiccantur in lectuloque positi aliquantisper dormiunt: mox cibo reficiuntur.“ Quod balneorum genus Priessnitzianae rationi ita quidem praestare mihi videtur, ut pericula, quae aegrotis per subitam multi sudoris et aquae frigidissimae commutationem non numquam imminent, illo plerumque evitari possint. „Sed quid dicemus, pergit, de melancholicis [25]), qui *his tepidis balneis* tum in universum corpus, tum *praecipue supra capitis suturam coronalem stillantibus (Tropfbad?)* perfecte sanantur?“ Alia vero multa morborum genera, contra quae Aegyptii, ut Prosper Alpinus refert[26]), balnea adhibebant, eo magis omittam, quo fecundiorem cuique ipsam Alpini librorum lectionem esse credo: addam solam oculorum inflammationem (*Aegyptische Augenentzündung?*), de qua scripsit: „haec obiter de usu balneorum in putridis febribus diximus, quibus illi nil minus familiariter utuntur ad plures alios morbos, nempe ad *oculorum inflammationes*[27]): nec ad oculos modo ipsos, sed ad universum corpus, ut corpora exsiccent atque contemperent.“ Deinde describit et exponit[28]) balneorum loca, quae antiquorum et omnino orientalium balneis sunt simillima: etenim et Cayri et Alexandriae multas fereque innumeras aedes magnifice pro balneorum usu constructas habebant, quarum ad dispositionem infra redibo.

Aquae potus quoque fere omnibus aliis Aegyptii praeferebant: sic affert Prosper Alpinus[29]): „pro potu omnes Aegyptii Mahometis asseclae suavissima illiusce fluminis (sc. Nili) aqua utuntur, quae aliis om-

25) Cf. Prosp. Alpin. I, 12.
26) Toto libr. III. capit. 20.
27) Cf. Cels. I, 5.
28) Ibid. III, 15.
29) l. c. I, 10.

nibus bonitate videtur praeferenda [30]": ac paulo inferius: „plerique incolarum hac aqua ita clarefacta pro potu atque cibo utuntur [31]. Alii multi eam pluribus diebus residere ac purgari permittunt, ut purissimam atque quam tenuissimam reddant, quae proculdubio omnium est aquarum praestantissima [32]. Recte quidem ipsi quoad conservandam sanitatem se gerunt illa utentes aqua etc. [33]." Longaevitatis quoque causam Aegyptii in *Nili* fluminis aquae potu esse positam existimabant [34]. Non solum vero ad sitim sedandam sanitatemque confirmandam, sed etiam ad morbos et leniendos et depellendos ab Aegyptiis adhibitus est aquae potus [35]: aquae autem usum non recte ea utentibus valde noxium fieri posse, optime intelligebant [36].

Jam copiosius fortasse aquae usum apud Aegyptios pro scriptiunculae meae finibus exposui: „multis autem persuasum est, ibi medicinam primas habuisse radices [37] plurimosque illustres viros tum in medicina [38], tum in aliis scientiis olim in Aegypto floruisse" [39]: et tum in aquae usu, qui ex Aegypto in *Graeciam* atque *Italiam* [40] translatus est, Aegyptios simillima Celsi et omnino veterum rationi usos esse ostendetur, quamobrem quae fusius explicetur, digna mihi visa est.

30) Cf. l. c. I, 2. 7. 8. 9. 10. 11. 12.

31) Cf. l. c. I, 12. II, 1. quibus ex locis patet, Aegyptios putasse, Nili aquam sanguinis generationi non minus favere quam nutritioni.

32) Cf. l. c. I, 11. (vol. I. pag. 74. 77. 80.)

33) Ibid. cf. I, 12.

34) Ibid. (vol. I. pag. 74. 77. 81.)

35) Cf. l. c. I, 12. coll. I, 3. 10. II, 8. IV, 7.

36) Ibid. cf. I, 14. (vol. I. pag. 97. 102. 106.)

37) Cf. Friedlaender p. 47.

38) Homer. Odyss. IV, 231 sq.
ἰητρὸς δὲ ἕκαστος ἐπιστάμενος περὶ πάντων ἀνθρώπων. — Cf. Friedlaender p. 53.

39) Prosp. Alpin. I, 1.

40) Cf. Friedlaender p. 137. et infra pag. 13. 15.

Antiquissimo tempore *Persae* quoque solam aquam bibebant, donec vini potum cognoverunt (Herodot. 1, 71.)[41]).

Graeci autem corporis et pulchritudinem et robur colentes aquae usum et in primis balnea magni aestimabant: quo factum est, ut aquae mentionem saepissime faciant: sic Homerus Nausicaam ejusque ancillas[42]), sic Ulixem[43]) in flumine se lavantes[44]) tradit: similiter munditiae causa balneis utuntur[45]): hospitibus aqua calida[46]) praebetur[47]) potissimum ad pedes[48]) lavandos; vulnerati quoque heroes aqua recreantur et sanantur[49]): ita Nestor Machaonem ab Hecamede calida lavari jubet[50]) vulneratumque et exanimatum Hectorem Xanthi fluvii undis sanatum videmus[51]): atque Theocritus ducentas et quadraginta puellas in fluvio se lavasse commemorat. Aesculapii, artis medicae dei, templa a fluviis et fontibus, calidis potissimum ac salutaribus, haud procul erant aedificata: aegrotique interiora templa non nisi piis lustrationibus aliisque re-

41) Cf. Herodot. I, 138. Strab. 15, 3.

42) Hom. Odyss. VI, 96.

43) Ibid. VI, 224.

44) Coll. Hom. Il. XXI, 560. Od. VII, 296. X, 572.

45) Hom. Od. VIII, 364. XVIII, 172. 179. XXII, 478. XXIV, 365. Phaeaces voluptatis causa: Od. VIII, 249.

46) Aquam ad balneum adbibendam infundebant tripodi et calefiebat ea et denique fervebat. Cf. Il. XVIII, 347 sqq. Od. VIII, 427 sqq. X, 359 sqq. coll. XIX, 386 sqq.

47) Cf. Od. I, 310. III, 464. IV, 48. 252. VIII, 450 sqq. X, 450. XXIII, 154 sqq. Omnino veteres quotidie et ante sacra facienda (Il. I, 313. III, 270. VI, 266. Od. III, 440 sqq.) precesque ad Deos mittendas (Il. I, 449. IX, 171. 174. XVI, 230. XXIV, 303 sqq. Od. II, 261. III, 445. IV, 760. XII, 336. XVII, 58.) et ante epulas (Od. I, 138. 146. III, 338. IV, 52. coll. 213. 216. X, 182. Aristoph. Av. 463.) non minus quam itineris vel pugnae molestiis ac sudore fatigati (Od. V, 264. X, 363.) atque inquinati (Il. X, 575 sqq. Od. VI, 210 sqq. XIX, 317 sqq.) ad corpora purganda aqua utebantur.

48) Cf. Od. XIX, 358. 376. 387. 504.

49) Cf. Il. V, 905. XI, 829 sq. cll. 845.

50) Il. XIV, 6 sq.

51) Il. XIV, 433 sqq. cf Schreger 2. pag. 42 sq. qui tamen minus recte quaedam enarrat: idemque fere valet de Hirschel. pag. 51.

bus praeparatis intrare poterant: postea sacrificia atque alii instituebantur ritus, quorum summi erant momenti lavationes, etiam in aqua marina vel in salutari, si quis templo erat vicinus, fonte adhibitae: earum vero vis atque efficacitas et unctionibus et frictionibus admodum augebantur itaque eventus erant prosperrimi, et qui convaluerunt tabulis votivis relictis grati templo discedebant [52]). Hercules qui thermarum [53]) Deus colebatur in nummis veteribus aqua e leonis faucibus prorumpente perfusus fingitur ejusque in cultu liquores per simulacra dei dispergebantur. *Spartani* et infantes et senes et virgines in balnea frigida, sacra Lycurgi lege instituta, demittebantur: atque Graecorum proverbium erat Euripidis [54]) illud: *θάλασσα κλύζει πάντα τἀνθρώπων κακά*: et Pindarus [55]): *ὕδωρ*, ait, *ἄριστον*.

Macedones balnea calida ita odisse feruntur, ut foeminae vel post partum frigida lavarentur: atque *Scythae* frigore consueti frigida quoque aqua secundum legem utebantur.

Itali antiqui, ut adhuc populi quidam, neonatos in fluvium immergebant, eorumque posteri, veteres *Romani*, robusta corporis natura praediti [56]), balnea frigida ita amabant, ut juvenes ludis in campo Martis incensi fatigatique in Tiberis fluvium ad corpora refrigeranda statim se praecipitarent [57]): eaque balnea illi ne tunc quidem prorsus negligebant, quum jam viribus morum effrenatione exhaustis, ut corpora libidine diffluentia reficerent, ad balnea tepida et calida fugiebant. Quo quidem tempore Caesar Augustus ita quoque

52) Cf. Friedlaender pag. 68. 70.

53) *Ἡράκλεια λουτρά* cf. Schreger 2. pag. 43.

54) Iphig. Taur. 1193. cll. Hippol. 649. (Senec. Hippolyt. 715.) Sophocl. Aj. 654 sq. Oedip. R. 1227 sq. Virgil. Aen. II, 719. Tacit. Ann. 15, 44. Catull. 8, 5 sq.

— — Qnantum non ultima Tethys,
Non genitor Nympharum abluit Oceanus.

55) Ol. I, 1. sequitur Thaletem Milesium cf. Clem. Alex. 19, 17.

56) Friedlaender p. 137.

57) Cf. Schreger 2. pag. 6.

effeminatus, ut vel levissimae aurae flatum horreret et ad corpus movendum in solium siccum descenderet, tabe confectus conclavia sua pelle munita [58]) ac balnea calida Antonio Musa [59]) medico auctore reliquit et aquam frigidam bibit frigidaque perfusus est: quo modo quum Augustus sanitatem prorsus recuperavisset [60]), Musa amplissimum, quod decebat Imperatoris liberalitatem, munus famamque latissimam accepit [61]).

Veteres quoque *Germani*, majores nostri validissimi, lavationibus frigidis in fluviis utebantur [62]) eorumque Dei in lucis, qui aquis abundabant, potissimum colebantur et apud fontes: quare Claudianus canit: „Natos explorat gurgite Rhenus." Per hiemem autem in aquis calidis lavabantur et postea haud aliter ac Romani paulatim iis abutebantur [63]).

Galli denique in sacris fontibus non modo sani, sed etiam aegri se lavabant.

De aquae usu apud *Graecos* et *Romanos* a scriptoribus posterioris temporis certiores etiam fieri possumus. Quamquam enim jam Pythagoras (530 a. Ch. n.) balneorum frigidorum usum ex *Aegypto* [64]) in *Graeciam* transtulerat eumque discipulis suis non

58) Cf. Vet. Schol. ad Hor. Epp. I, 15. Nam quum dolore arthritico (?) laboraret et *ad summam maciem perductus esset*, curante Camelio medico, qui eum adeo calidis curabat, ut *tectum cubiculi ejus velleribus muniret:* etc.

59) Cf. Sprengel, Kurt, Versuch einer pragmatischen Geschichte der Arzneykunde von; 3. Aufl. Halle 1823. 2. Thl. p. 33 sq. Friedlaender p. 143.

60) Suet. vit. Aug. c. 81. Dio Cass. 53, 30. *Καὶ αὐτὸν (Αὔγουστον), μηδὲν τῶν πάνυ ἀναγκαίων ποιεῖν δυνάμενον, Ἀντώνιός τις Μούσας καὶ ψυχρολουσίαις καὶ ψυχροποσίαις ἀνέσωσε.*

61) Aegritudine Augusti artem suam illustravit. — Ob quam causam ab Augusto usque ad *sestertium quadringenties* ex Senatusconsulto accepit. Vet. Schol. ad Hor. Epp. I, 15. Cf. Suet. vit. Aug. c. 59.

62) Schreger 2. p. 9.

63) Id. l. c. 1, p. 3. et 2. p. 44.

64) Cf. quod supra memoravi p. 10. Friedlaender p. 84. 85. 89. cll. 60.

magis ad corpus quam ad animum corroborandum vehementer et commendaverat et praeceperat, tamen divinus Hippocrates[65]) (460—370? a. Ch. n.) medicorum pater, a quo in medicina veritatis principia etiam nunc et in posterum duci possunt, auctoritate sua usum illum magis constituit atque confirmavit. Namque e tabulis votivis, quas aegroti, ubi convaluerunt, in Aesculapii templo suspendebant, summam curationis perfici humoribus, certissime cognovit ideoque saepissime aquae usum proposuit[66]). Primus quoque aqua frigida corpus calefieri, calida refrigerari affirmavit, neque minus aquae et perfusiones et frictiones novit. Calidae aquae, ait, perfusionibus gignitur somnus: in lipothymia prodest perfusio frigida. Quibus perfusionibus adhibitis curatur rigor nervorum: artuum morbi leniuntur et sanantur: dolores restinguuntur. In lienteria et oculorum morbis balnea adhibet[67]): in balneorum autem usu quietem esse tenendam: cito alios perfundere ac deinde abstergere jubet: praeterea frigida aqua contra icterum, hypochondriam, rheumatismum, paralyses, tumores, ulcera, arthritidem, febres, peripneumoniam, phthises, alia laudatur. Balnea vero in statu bilioso, nausea, diarrhoea, alvi obstructione, magna infirmitate, sufficiente sanguinis ex naribus profluvio obesse dicit. Primus quoque spongiam ex aqua commendat.

Postea Herodicus belli Peloponnesiaci tempore (431—404 a. Ch. n.) lavationes cum frictionibus artificiosis junctas ad tuendam et confirmandam et reficiendam valetudinem praescripsit ac Dioxippus Cous ex Hippocratis praeceptis diaeteticis nil retinuit nisi potiones in febribus acutis, dum Chrysippi Cnidii (340

65) Cf. Cels. I, praef. Hujus (Democriti) autem (ut quidam crediderunt) discipulus Hippocrates Cous, primus quidem ex omnibus memoria dignis, — vir et arte et facundia insignis. Cll. II, praef. II. 14. VII, praef. Friedlaender p. 95 sqq.

66) Cf. Schreger 2. p. 43. Friedlaender p. 107. cll. Hipp. lib. de aëre, loc. et aq., de diaet. in acut. etc.

67) Cf. Cels. IV, 16. VI, 6.

a. Ch.) sectatores jam potum noxium esse contenderunt. Quibuscum Erasistratus Ceus (305 a. Ch.), novae scholae auctor, qui magnam diaeteticae [68]) dabat operam et vel contra solis ictum spongiam ex aqua frigida superimponebat, summopere concertavit.

Romae, quo tunc ars medica in primis ex Graecia migravit, balnea frigida jam dudum erant in usu, ut supra commemoratum est. Lucio autem Tarquinio Prisco rege (616 — 578 a. Ch. n.), qui politiore elegantia praeditus vitae cultum augere consuevit, balneae esse exortae videntur; tunc etiam aquae ex alto inspersiones factas esse haud improbabile est [69]): quippe quas medici aquae-ductibus primum ab Appio Claudio (312 a. Ch.) exstructis facile excogitare possent. A *Graecis* autem, quos magis magisque post bella contra Pyrrhum gesta (282 a. Ch.) cognoscebant, *Romani* non solum ad vitae cultum et elegantiorem et copiosiorem traducti sunt, sed etiam accuratam melioris balneorum institutionis cognitionem ceperunt. Jam antea quidem ab illis ipsis servis, quos *aquarios* nominabant, ex conchis atque curcurbitis excavatis vel vasis fictilibus aqua perfundebantur et frigida et calida, sed Asclepiades Bithynus (100 a. Ch. n.), Cleophanti [70]) Aegyptii [71]) discipulus, medendi rationem magna ex parte mutavit [72]) et balneorum quoque usum prorsus novum effecit [73]). Qui quamvis *philosophiae Epicureae* sectator [74]), tamen in morbis curandis rationem maxime naturalem [75]) est secutus: sic ejus votum Celsus refert [76]): „Asclepiades officium esse medici dicit, ut

68) Cf. Friedlaender p. 133. cll. Cels. III, 4. IV, 11.

69) Cf. L. W. Mauthner, die Heilkräfte des kalten Wasserstrahls. Wien, 1837. p. 124.

70) Cf. Cels. III, 14. Schreger 2 p. 43.

71) Cf. quod supra p. 10. commemoravi, cll. Spregel II, p. 6

72) Cels. I. praef. cll. I, 3. IV, 19. V. praef.

73) Cf. Cels. II, 17.

74) Cf. Cels. I. praef.

75) Cf. Cels. IV, 4.

76) Cels. III, 4.

tuto, ut *celeriter*, ut *jucunde* curet." Remedia vero diaetetica, quae diligebat Asclepiades[77]), erant abstinentia, vinum[78]), frictiones[79]) et fortiores et leniores, motiones et exercitationes, tum gestationes[80]), tum ambulationes; balnea[81]) eaque frigida ad morbos sanandos adhibebat, quam ob causam cognomen ei datum est *ψυχρολούτης*, et aquae usum internum etiam in diarrhoea commendabat[82]) ac *balineas pensiles*[83]) invenit. Declamationes quoque, risus, cantus, musica in morborum curatione locum tenebant[84]).

Jam apud Romanos omnia balneorum genera inveniri poterant: verum prae ceteris calida: quo factum est, ut aquae frigidae usus fere prorsus negligeretur, et fortasse totius memoriam oblivio delevisset, si medici tum balneorum calidorum usum non coërcuissent. At Antonius Musa libertus (10 p. Ch. n.), supra jam

77) Cf. Cels. V. praef. Sprengel II, p. 23.
78) Cael. Aurel. acut. lib. I, 15. cll. Cels. III, 14. Plin. 23, 1.
79) Cf. Cels. II, 14. Friedlaender p. 139.
80) Cf. Cels. II, 15. Friedlaender ibid.
81) Cels. II, 17 cll. Schreger 2. p. 43.
82) Cf. Cels. I, 3. IV, 19. *ΑΣΚΛΗΠΙΑΔΟΥΣ ῾ΥΓΙΕΙΝΑ ΠΑΡΑΓΓΕΛΜΑΤΑ*. Des Asclepiades von Bithynien Gesundheitsvorschriften nach den vorhandenen Handschriften zum ersten Male vollständig bearbeitet und erläutert, sowie mit lateinischer Paraphrase und deutscher Uebersetzung im Versmaasse der Urschrift versehen von Robert Ritter von Welz, Doctor der Medicin etc. Würzburg, Druck v. F. E. Thein 1841.

p. 32. 4. *Πρὸ τοῦ κόρου βρῶσίν τε καὶ πόσιν φύγε.*
7. *Κατάψυχρα πόματα χειμῶνος μίσει.*
14. *Χρᾶ καὶ λοετροῖς ἀσφαλεστάτῃ κρίσει,*
Συχνοῖς μὲν ἂν ἔσχηκας αὐχμηρὰν πλάσιν,
Ἂν δὲ πλαδῶσαν, σπάνιον καὶ σὺν χρόνῳ.

p. 36. 31. *Θέρους πόνων ἡ λῆξις ὑμῖν συμφέρει,*
Ἡ τῶν τροφῶν τε βραχύτης καὶ ψυχρότης
Καὶ τῶν ὑδάτων ἡ περίψυχρος πόσις.

p. 38. 40. *Δεξιοκοίταις, ὡς ἰατρός τις λέγει*
Καὶ χλιαρὰ πίνουσι μακρὸς ὁ χρόνος.

83) Plin. hist. nat. 26, 3. Tropfbäder cf. Sprengel II, 24. Friedlaender p. 139. Sturz- und Regenbäder cf. Welz p. 19.
84) Cf. Cael. Aurel. chron. lib. I, 5.

commemoratus, Imperatoris Augusti curationem suscepit: qua feliciter aquae frigidae usu peracta huic denuo gloria ac medicis et melior status et certus in civitate locus est comparatus [85]. Idem Antonius Musa, ut scripsit Horatius ipse [86], institutis frigidae aquae perfusionibus poëtam Venusinum, quo nemo neque Caesari, neque populo Romano tunc erat carior, ad sanitatem perduxit. Quem frigidae usum, quum prosperrimus sequeretur successus, brevi multis fuisse invidiae, e verbis patet Dionis Cassii [87], quibus Antonio Musae objicit, M. Marcellum, Octaviae filium, iisdem adhibitis lavationibus frigidis mortuum esse: Marcellus autem in *Bajarum thermis* [88] omnino *post* minime vero *per* balnea frigida obiit.

Jam antea Themison (63 a. Ch. n.), Asclepiadis discipulus ac *methodicorum* auctor ejusque sectatores „contenderunt, nullius causae notitiam quidquam ad curationes pertinere satisque esse, quaedam communia (*κοινότητες*) morborum intueri. Et quidem horum tria genera esse, unum adstrictum (*στέγνωσις, στεγνόν*), alterum fluens (*ῥύσις, ῥοῶδες*), tertium mixtum (*μεμιγμένον*) [89].“ Itaque quin frigidae, quam saepissime commendabat, aquae utilitatem ad curandos morbos

85) Cf. Coel. Rhodig. Antiqq. Lectt. VI, 12. „quo nomine pecunia est ampliter donatus, et annulo aureo, quoniam erat libertus (sc. Antonius Musa). Concessum *idem juris non praesentibus modo, sed et futuris, qui Medicos se profiterentur.* Cll. Dio Cass. l. c. Sprengel II, 34. Friedlaender p. 142 sq.

86) Epp. I, 15. — — — — Nam mihi Bajas
Musa supervacuas Antonius et tamen illis
Me facit invisum, *gelida cum perluor unda*
Per medium frigus. Sane myrteta relinqui
Dictaque cessantem nervis elidere morbum
Sulphura contemni, vicus gemit, invidus aegris,
Qui *caput* et *stomachum supponere fontibus* audent
Clusinis, Gabiosque petunt et frigida rura.

87) 53. ὅτι τὸν αὐτὸν ὑπ᾽ αὐτοῦ τοῦ Μούσα τρόπον θεραπευόμενος ἀπέθανε.

88) Cf. Propert. Eleg. III, 16, 7 sqq. cll. Sprengel II, 34.

89) Cels. I, praef. cf. Sprengel II, 29. Friedlaender p. 140.

ignoraret, fieri non potuit; ejusque aemulus, Eudemus, ut in passione cardiaca per clysterem aqua frigida infunderetur, primus praecepit [90]).

Contra quos Celsus [91]), et causae quoque aestimatione saepe morbum solvi ostendit: quamobrem exemplum affert Cassii. „Ergo, ait, etiam ingeniosissimus saeculi nostri medicus, quem nuper vidimus, Cassius febricitanti cuidam et magna siti affecto, cum post ebrietatem eum premi coepisse cognosceret, *aquam frigidam* ingessit. Qua ille epota, cum vini vim miscendo fregisset, protinus febrem somno et sudore discussit. Quod auxilium medicus opportune providit non ex eo, quod aut adstrictum corpus erat, aut fluebat, sed ex causa, quae ante praecesserat."

Jam vero his praemissis quomodo ex Celsi quidem sententia et sanis et aegris in aquae usu sit versandum, mihi explicandum est: priusquam autem hoc ostendam, quemadmodum apud *Graecos* et *Romanos* balneae exstructae et institutae fuerint quaeque se lavantibus consuetudo fuisse videatur demonstrare, non alienum puto ab hac disputatione, quum balneorum usus *Romanis* consuetus, a Celso saepissime commemoratus, minime sine illa expositione intelligi possit.

II.

De dispositione balinearum ac lavandi ratione [1]).

Balneae *Graecorum* ac *Romanorum* magnae aedes erant et oblongae et in duas partes pro viris

90) Cael. Aurel. acut. lib. II, 38.

91) Cels. I. praef.

1) Cf. Vitruvii de architectura V, 10. De balnearum dispositionibus et partibus. — Prosp. Alpin. l. c. — Hirschel l. c. Schreger l. l. — Rust, theoretisch-praktisches Handbuch der Chirurgie etc. II, p. 701. Art. *Balneum Laconicum.* Schmidt, Encyclopaedie der gesammten Medicin etc. I, p. 403. Art. *Bad.* Delineationes quasdam ad balnearum dispositionem pertinentes inve-

mulieribusque divisae [2]), quarum in utraque non minus frigidis quam calidis lavationibus uti possent: atque cellae balnearum calidae, inter se distinctae, ut simul omnes calefierent, parietibus se attingebant: „et item, Vitruvius inquit, est animadvertendum, uti caldaria muliebria viriliaque conjuncta et *in iisdem regionibus sint collocata:* sic enim efficietur, ut in vasaria ex hypocausto *communis sit usus eorum utrisque:* testudinesque alveorum *ex communi hypocausi calefacientur.*" In medii aedificii parte, quae erat plano pede, balnea calefiebant: in balneis vero divitum Romanorum privatis et pavimenta et aqua ex hypogeo [2]) pariter calore suffundebantur: hypocausta haud raro aëre calefiebant: interdum quoque aquae ferventis vaporibus: sic narrat Prosper Alpinus: „hypocausta illa calfaciunt *calentis aquae vapore* in singularum labra elabentis. Non enim ut nostri igne illorum balneorum aërem calfaciunt, sed *humidis calidisque aquae calidae vaporibus* loca illa complentibus [3])."

Cellae balnearum in loco calido sitae, fenestris occidentem versus vel ad meridiem spectantibus ad tenuissima caloris et frigoris inter se paulatim variantium discrimina, non ad subitam mutationem aptae erant. Huc pertinent verba Vitruvii: „Primum *eligendus locus* [4]) est *quam calidissimus,* id est, aversus a septentrione et aquilone. Ipsa autem caldaria tepidariaque *lumen* habeant ab *occidente hiberno.* Sin autem natura loci impedierit, utique *a meridie,* quod maxime tempus lavandi a meridiano ad vesperum est constitutum": et Prosperi Alpini locus: „Recte meministi, innumeras

nies in A. Corn. Celsi medicinae libris ab. Ed. Milligan editis (Edinburgi 1826).
Delineatus est: A. *Ordo aedificii balneorum.*
B. *Laconicum Caracallae.*
C. *Solium* seu *labrum,* in quo, in balneis veterum, lavabantur.

2) Cf. Schreger 2. p. 7. 46.
3) Prosp. Alpin. III, 15.
4) Cf. Cels. I, 2. Schmidt l. c.

permagnas aedes ibi pro balneis paratas spectari, multis variisque cameris inter se distinctis praeditas eodemque modo, ut tu dixisti, constructas atque ordinatas, ut in *qualibet camera idoneus, quoad caliditatem, aër esset pro variorum corporum usu vario paratus.* Namque varia hypocausta sive camerae varium, quoad caliditatem, aërem habent, ut variis corporum temperamentis auxilio sint."

In *praefurnio* sive *propnigeo* erat *hypocausis,* quo ligna carbonesque ad ignem alendum injiciebantur [5]). Juxta vel supra *hypocaustum* thermarum cellae erant sitae: „ac primum quidem conclave, *vasarium* dictum, in quo ahena tria aliud supra aliud erant composita: unum supra ignem *calidarium* [6]) s. *caldarium* seu ahenum aquam calidam ad balneum, calidarium dictum, mittendam continens: alterum *tepidarium* [7]), aquam tepidam ad balneum, quod vocabant tepidarium, emittens: tertium *frigidarium* [8]), aquam frigidam mittens: atque ita collocata, uti ex tepidario in caldarium, quantum aquae calidae exiisset, influeret: de frigidario in tepidarium ad eundem modum" [9]): aqua autem frigida ex

5) Cf. Schreger 2. p. 46.
6) Cf. Cels. I, 4. Bacchius de Thermis VII, 6.
7) Cf. Cels. I, 3. 4.
8) Cf. Cels. I, 1. 3.
9) Cf. Vitruv. l. c. structurae genus copiosius explicat his verbis: „Suspensurae caldariorum ita sunt faciendae, uti primum sesquipedalibus tegulis solum sternatur inclinatum ad hypocausim, uti pila cum mittatur, non possit intro resistere, sed rursus redeat ad praefurnium, ipsa per se ita flamma facilius pervagabitur sub suspensione: supraque laterculis bessalibus pilae struantur ita dispositae, uti bipedales tegulae possint supra esse collocatae. Altitudinem autem pilae habeant pedum duorum, eaeque struantur argilla cum capillo subacta, supraque collocentur tegulae bipedales, quae sustineant pavimentum. Concamerationes vero, si ex structura factae fuerint, erunt utiliores. Sin autem contignationes fuerint, figlinum opus subjiciatur. Sed hoc ita erit faciendum. Regulae ferreae aut arcus fiant eaeque uncinis ferreis ad contignationem suspendantur quam creberrimis eaeque regulae sive arcus ita disponantur, ut tegulae sine marginibus sedere in duabus invehique possint, et ita totae concamerationes in ferro nitentes

magno receptaculo, quod *immissarium* appellabant, statim restituebatur: ahena enim praedita erant emissariis, quorum quisque epistomio instructus erat canalis, per quos obice converso aqua ad balnea idonea meabat: praeter autem istos alii erant aquam de frigidario in tepidarium, de tepidario in calidarium deducentes. Nimirum nares in haec receptacula, uti priorum canalium in solium patescebant.

Juxta illud conclave erant pro balneis et calidis et tepidis et frigidis cellae, quarum in solo lapidibus erat exstructus et *pluteo* circumdatus *alveus* s. *labrum*, in quo erant solia posita: itaque se lavaturi in alvei margine considebant sive *in solium descendebant* (Cels.)[10]), dum sequentes eorumque servi in spatio alveum cingente, quod nominabatur *schola*, commorabantur[11]).

Balnearum angulum, ut raro nisi ab aegris usurpatum, occupabat *Laconicum*[12]), in quo homines sudabant: aeque ac *sudationes* cum tepidario erat conjunctum[13]); canales modo aërem calefactum, modo vaporem[14]) in Laconicum promittebant[15]): hoc autem ha-

sint perfectae, earumque camerarum superiora coagmenta ex argilla cum capillo subacta liniantur. Inferior autem pars, quae ad pavimentum spectat, primum testa cum calce trullisetur: deinde opere albario sive tectorio poliatur: eaeque camerae in caldariis si duplices factae fuerint, meliorem habebunt usum. Non enim a vapore humor corrumpere poterit materiam contignationis, sed inter duas cameras vagabitur.“

10) Cels. I, 3. 4. II, 17 (in solio desidendum).

11) Cf. Vitruv. l. l. „Magnitudines autem balnearum videntur fieri pro copia hominum. Sint autem ita compositae: Quanta longitudo fuerit, tertia dempta latitudo sit, praeter scholam labri, et alvei. Labrum utique sub lumine faciendum videtur, ne stantes circum suis umbris obscurent lucem. Scholas autem labrorum ita fieri oportet spatiosas, ut cum priores occupaverint loca, circumspectantes reliqui recte stare possint. Alvei autem latitudo inter parietem et pluteum, ne minus sit pedes senos, ut gradus inferior inde auferat et pulvinus duos pedes.“

12) Cf. Cels. I, 3. II, 17. III, 21.

13) Cf. Cels. I, 4.

14) Cels. II, 17.

15) Rust. l. l.

bebat tectum sive culmen, per quod lux incidebat, orbiculari forma, vitreis laminibus perbelle laboratum, undique conclusum, ne aër aliquis ingrederetur [16]): intra quam Laconici curvaturam clypeo rotundo, aëneo, mobili, catenis suspenso vaporem subducendo et demittendo moderabantur: nonnunquam etiam exedria addita erant sellis instructa et soliis cribro similiter perforatis, vel supra consuetum, quod erat vel tegulis comparatum vel marmoreum et emblematis compositum, *pavimentum* collocatum erat *tabulatum* simili ratione perforatum [17]), ut vapores possent penetrare [18]).

Erat singularis quoque cella, *elaeothesium*, ubi unguentorum et oleorum pyxides reservabantur atque unctiones instituebantur. Conclave deponendis vestibus appellabant *apodyterium* [19]). Praeter has quas commemoravi partes balneis etiam adjunctae erant ambulationes, porticus, xysti, stadia tecta, sphaeristeria, horti [20]), ita ut amplitudine sua tamquam aedes maximae apparerent.

Primo quidem veteres solis nundinis totum corpus lavabant: os, manus, pedes quotidie: in balneis vero plerumque aqua utebantur calida. Varia erat lavandi ratio [21]): advenientes vel vestes deponebant et in tepidario residebant vel sub vestibus ibi paulum insudabant et aqua tepida lavabantur; in frigidario autem non solum lavationibus frigidis, sed etiam frictionibus et unctionibus uti poterant et loti in alveo aqua frigida

16) Prosp. Alpin. III, 15. Schmidt l. c. p. 403. Schreger 2. p. 46.
17) Rust. l. c.
18) Vitruv. l. c. „Laconicum sudationesque sunt conjungendae tepidario eaeque quam latae fuerint, tantam altitudinem habeant ad imam curvaturam hemisphaerii: mediumque lumen in hemisphaerio relinquatur, ex eoque clypeum aëneum catenis pendeat: per cujus reductiones et demissiones perficietur sudationis temperatura: ipsumque ad circinum fieri oportere videtur, ut aequaliter a medio flammae vaporisque vis per curvaturae rotundationes pervagetur.“
19) Cf. Prosp. Alpin. III, 15.
20) Cf. Cels. I, 2.
21) Cf. Cels. I, 3. 4.

impleto refrigerabantur: ante lavationes frigidas atque ante natationes totum corpus unguentis suavi odore praeditis plerumque infricabatur*) ac post balneum calidum vel adeo fervens veteres Romani, ut hodie prae ceteris Russi, in aquam vel frigidissimam se praecipitabant vel ea perfundebantur[22]: et omnino saepius aquam calidam frigida commutabant[23].

Antequam autem veteres balneo uterentur calido, simili ratione et ungebantur et perfricabantur: ideoque unguenta et olea se lavaturis infricabantur[24] ac tum pectine quodam vel strigili de perunctis quasi depecti et deradi solebant[25]: interdum loti[26] quoque et ii, qui in laconico vel tepidario insudaverant, ungebantur[27] et postea in aquam descendebant: plerumque autem semel tantum ante aut post balneum unguentis oblinebantur. Post unctionem e tepidario vel frigidario transiebant in calidarium, ubi sudabant[28] et *in solium descendebant* et destringebantur: denique quum e balneo exiissent, detergebantur.

Certum lavandi tempus apud Romanos aestate circiter hora octava atque hieme nona, paulo *ante coenam* erat: cujus horae signum athlethis[29] et balneo usuris calido per *tintinnabula* dabatur. Postea vero constitutum lavandi tempus est neglectum et quotidie sine causa nisi consuetudine lavabantur qualibet diei hora: et omnino posteriore tempore potissimum sub imperatoribus balneorum usus gradatim est degeneratus: nam quum aequaeductuum numerus augeretur hic illic balineae quoque ac thermae exaedificatae sunt: palaestris vero,

*) Mercurial. de art. gymn. I, 10.
22) Cf. Cels. ibid. et IV, 2.
23) Schreger 2. p. 6. 8. 44.
24) Cels. III, 15.
25) Cf. Rust. l. l.
26) Cf. Cels. I, 3.
27) Cf. Cels. I, 3. 4.
28) Cf. Cels. I, 4.
29) Cf. Cels. I, 2.

in quibus populus diu multumque versabatur, non magis quam famae, quam balnea a morborum curatione capiebant, celebritate factum est, ut magis magisque frequentarentur. Primum autem imperatore Augusto thermae publicae, quibus plebs *gratuito* uteretur, a Maecenate institutae ac palaestris erant conjunctae et tunc omnino in publicis et privatis balneis magnifice exstruendis cum *Aegyptiis* atque *Graecis* certatum est et divitiis populi Romani auctis balineae quoque ita amplificatae sunt, ut supra paucis exposui[30]). At his splendidissimis et apparitissimis balneis Romani minime contenti *pendentes* etiam *in aëre* balneas, in quas per magnos canalium, in parietibus collocatorum, apparatus aquas ducebant, locis editis exstruebant. Ubi septentrionem versus ad lavationes frigidas et natationes magni et artificiosi alvei vel piscinae (*baptisteria* Plin., *κολυμβήθραι*) vel pluviali aqua vel per sumtuosos ductus non solum e fluviis, sed etiam *e mari allata**), ac partim *odoribus suffusa*, erant impletae. Quin ipse imperator Caligula amplam ad lavandum e *cedro* paravit *navem*, cui similis et antea et adhuc nunquam exstitit, pluribus cellis et porticubus instruxit, variis arbustis consevit[31]). Ruinae autem thermarum, a Caracalla ac Diocletiano aedificatarum, adhuc restant magnifica pristinae magnitudinis monumenta. Illo etiam tempore *nongentae* fere balineae publicae, quarum complures certe *mille et octingentos* homines capere poterant, Romae inveniri potuisse constat. Quo factum est, ut Romani praeter magnos sumtus ad balneas et decorandas et amplificandas factos omnia novitatis et varietatis blandimenta atque illecebras afferre studerent et balneis Graecorum tepidis temperateque calidis amplius non contenti calorem ipsum, prius a certo custode temperatum, in primis imperatore Nerone ita augerent, ut vix tolerari posset. Ab Hadriano autem talia bal-

30) Cf. Ammian. Marcellin. Opp.
*) Cf. Cels. III, 27.
31) Suet. vit. Caligul. c. 37.

nea lege coërcita sunt et imperatore Severo solis aegris balnea permittebantur calida: jam vero Galeni tempore balneis *ferventibus*[32]) nemo unquam usus est[33]).

IIII.

De aquae usu Celsiano *).

Jam in prooemio dixi, me hanc materiam pertractandam elegisse, quod et diaetetices et hydriatices praecepta sint in memoriam revocanda atque corrigenda, fortasse etiam amplificanda [1]): id quod perficere nostro tempore operae esse pretium credo: nam diaetetice a medicis quum in medicinae studiis tum in curatione morborum plus aequo negligitur atque contemnitur et aquae usus justos excedit fines, quum alii ipsum

32) Cf. Cels. I, 3.

33) Mihi defuit, quod valde doleo, commentatio, qua veterum balnea copiosius exposuit auctor: omnino adminicula mea fuerunt ejusmodi, ut accuratius rem tractare non potuerim. Commentatio, quam dico, est: Wichelhausen, über die Bäder des Alterthums, insonderheit der alten Römer etc. Mannheim 1807.

*) Angustiis et spatii et temporis, quorum cancellis homines circumscripti — proh dolor! — saepissime coërcemur, quorum finibus studia nostra terminantur, equidem quoque impeditus sum, quominus ultimam hujus speciminis partem aeque ac priores copiosius et diligentius pertractem: quamobrem materiam ut omnino studiorum dederim documentum, breviter potius descripsi celeriterque peregi, quam propositum meum exsecutus sum: quod vero, quamvis nunc modo inchoatum, tamen posthac me persequi posse spero: praesertim si homines docti quidam, amicitia mecum juncti ac mihi faventes, hoc commentariolum, quod perficiatur, haud indignum habeantur.

1) Novissimo tempore Ill. C. H. Schulz diaetetices praecepta ad leges, quas vocant, physiologicas revocare conatus prosperum eventum consecutus est libro suo: Ueber die Verjüngung des menschlichen Lebens und die Mittel und Wege zu ihrer Cultur. Nach physiologischen Untersuchungen in praktischer Anwendung dargestellt. Berlin, Verl. v. A. Hirschwald. 1842.

prorsus improbent atque aspernentur, alii defendent non modo et nimis admirentur, sed laudibus etiam ad coelum extollant. Doctrina autem de aquae usu summi est momenti et refertur jure meritoque ad praecepta diaetetices gravissima: *aqua enim unica est ac vera potio,* quum aliud quid sitim sedare minime possit, *et ad lavandum corpus atque abluendum aptissima,* qua nihil magis corpus simul et recreat et corroborat; multum quoque valet in therapia ideoque magni est facienda. At sicut omnis nocet intemperantia, aquae etiam usus, qualis nunc saepissime adhibetur, immoderatus ac vere insanus [2]) quin plerisque obnoxius sit fieri non potest,

2) Nostra aetate, quod valde dolendum, prae ceteris Eucharius Ferdinandus Christianus Oertelius, Philos. D. et Gymn. Onold. Prof., hospes in medicina aliique rudes de plebe homines (Schatz, cujus mercenaria opera *sutores* usi erant: cf. Oertelii dissertationis infra memoratae initium, ubi ominose scripsit: „Ne sutor ultra crepidam": Bleile, qui *barbas totonderat*: cf. ibid. versus:

Fingunt se medicos quivis Idiota, Sacerdos,
Judaeus, Monachus, Histrio, *Rasor*, Anus,
Miles, Mercator, Cerdo, Nutrix et Arator,
Lamia, Decoctor, Pharmacopola, Magus.)

aliique, dico, rudes homines, quos iste incenso animo ad coelum laudibus efferebat, non minus aegris quam sanis aquam, ut ita dicam, antlia infundere eosque ita complere studebant. — At virum istum doctissimum! Se esse hominum salutis auctorem, hydriatices creatorem opinatur, dum dissertationem scribit de aquae frigidae usu Celsiano atque alia multa, quae efficiunt rudem indigestamque molem, ex multis scriptoribus exscribit (Verba ejus ipsius in dissertatione illa sunt: „Hem mirum quantum in Celso nostro est locorum Aquariorum! Atque super his omnibus equidem permulta legi, *collegi*, *conscripsi*; simul etiam Aquae Frigidae usum medicum per omnes omnium saeculorum decursus, inde a Mose et Homero ad nostra usque tempora, historice delineavi"), quo etiam factum est, ut sint commentarii ad Celsi locos nil nisi conscriptarum auctorum sententiarum congeries, et nihilominus hydriaticen jam multis saeculis ante exstitisse ignorat. Sicut Cicero (in Verr. V, 25.) dicere medici possent: „Hunccine hominem! hanccine impudentiam! hanccine audaciam!" Sed plerique non nisi quum opus est, curant *similia similibus:* contumeliosissime ab Oertelio isto vexati maledicta ejus conviciaque ex trivio arrepta atque congesta minime rejicient; ipse est de

dum sanis rationalis et modicus tantum est utilitati et aegris caute usis aqua melius remedium exstitit nullum: quo vel solo saepissime morbis mederi vel certe curationem ac medicamenta efficacissime adjuvare possumus. Quid plura? *Aquae usus diaeteticus valde commendandus hydriatices pars esse debet princeps.* Quod equidem aquae usu Celsiano demonstrando ubique probare studui: atque ejus expositione omnino probari posse mihi persuasum habeo. Celsus enim, ut aqua uterentur simili ratione, magis ad sanitatem conservandam morbosque arcendos, diaetetice igitur, ut ita dicam, quam ad valetudinem amissam reficiendam praecipit: in multis quidem morbis aquae usum commendat, sed plerumque non nisi ut aqua tanquam adjumento salutares medicamentorum vires augeantur: nusquam vero neque sanos neque aegrotos ingenti et nimia aquarum multitudine impleri, elui, obrui jubet.

Nec mehercule nos mirari oportet, quod ille aqua ita uti voluerit, quum veteres medici fere omnes et praestantissimi praeter ceteras ei medicinae parti, quae victu morbos curat, operam jure meritoque dederint summam[3]), quam non perdiderunt; imo ea plurimum efficiebant ejusque eventus nanciscebantur prosperrimos: ac profecto nullo poterant alio modo melius intueri et perspicere vim naturae, quam vocamus, medicatricem ejusque in morbis modum facilius cognoscere, diligentius sequi, verius imitari: atque in primis integra illa et pura naturae contemplatione nobis admodum excelluerunt clarissimique redditi sunt medicinae principes.

Celsus quidem, quem medicinam non exercuisse veri simile est, etsi rerum natura, vivendi rationem

eo facti judicii auctor, quum ei cum hominibus in epigrammate supra commemoratis sit communitas. Equidem vero lectores benevolos hujus rei studiosos delego ad Hirschelii l. l., in quo et homo et scripta ejus de rebus medicis acute apteque dijudicantur.

3) Sententiam, quam de veterum diaetetice protuli, in libris de medicinae historia compositis ubique confirmatam reperies: Cf. Friedlaender p. 29. 44. 53. 85. 89. 93. 107. 133. 137. 139. passim saepius.

hominum morborumque decursus et curationes accurate observaverit, tamen medendi rationem secundum medicos Graecos et Romanos praestantissimos, praecipue Hippocratem[4]), Erasistratum[5]), Asclepiadem[6]), Themisonem[7]), alios[8]) secutus proposuit, neque dubitandum, quin victus quoque ratio, a Celso fere ubique vehementer commendata, nitatur auctoritate illorum medicorum, quorum ex uberrimis opibus sumpta digestaque complexus est[9]) optimo suo, quod de medicina composuit, opere. Celsum igitur victus quoque rationem praeter ceteras retinuisse et praedicasse, quum a sanis, tum ab aegrotantibus *) strictissime observari voluisse, haec pauca, quae e multis proferam, documenta confirmabunt.

Celus de victus ratione scripsit haec: „Sanus homo, qui et bene valet et suae spontis est, nullis obligare se legibus[10]) debet: hunc oportet varium habere vitae genus[11]). At imbecillis, quo in numero magna pars urbanorum omnesque paene cupidi literarum sunt, observatio major necessaria est: ut quod vel corporis, vel loci, vel studii ratio detrahit, cura restituat. Quem

4) Cels. II. praef. „In quibus, inquit, (instantis adversae valetudinis signis) explicandis non dubitabo auctoritate antiquorum virorum uti maximeque Hippocratis: cum recentiores quoque medici, quamvis quaedam in curationibus mutarint, tamen haec illum optime praesagisse fateantur." Cf. II, 14. III, 24. IV, 4, 4. IV, 16. VI, 6. VIII, praef. VII, 20.

5) Cf. Cels. I, praef. III, 4. IV, 4, 5. IV, 11. 13.

6) Cf. Cels. IV, 4. „Asclepiades multarum rerum, quas ipsi quoque secuti sumus, auctor bonus. Cf. I, praef. 3. II, 6. 12, 2. II, 14. 15. III, 4. 18. IV, 3. 19. V, praef.

7) Cf. Cels. III, 4. IV, 15.

8) Cf. Cels. I, praef. II, praef. 1. 4. 18. 21. V, praef. al.

9) Cf. Rich. Mead, Opp. med. II. cll. Friedlaender p. 141.

*) Cf. Cels. II, 18. „Ad ea veniendum est, quae nos alunt, id est, cibum et potionem. Haec autem non omnium tantum morborum, sed etiam secundae valetudinis communia praesidia sunt. Cll. II, 9. 16. al.

10) Cf. Cels. I, 2.

11) Cels. I, 1.

interdiu vel domestica, vel civilia officia tenuerunt, huic tempus aliquod servandum curationi corporis sui est. Prima autem ejus curatio exercitatio est, quae semper antecedere cibum debet, in eo, qui minus laboravit et bene concoxit, amplior, in eo, qui fatigatus est et minus concoxit, remissior. Commode vero exercent clara lectio, arma, pila, cursus, ambulatio etc. Exercitationis autem plerumque finis esse debet sudor, aut certe lassitudo, quae citra fatigationem sit: idque ipsum modo minus, modo magis faciendum est. Exercitationem recte sequitur modo unctio vel in sole, vel ad ignem, modo balneum. Post haec paulum conquiescere opus est. Ubi ad cibum ventum est, nunquam utilis est nimia satietas: saepe inutilis nimia abstinentia: saepe, si qua intemperantia subest, tutior est in potione, quam in esca. Condita omnia duabus de causis inutilia sunt, quoniam et plus propter dulcedinem assumitur et quod modo par est, tamen aegrius concoquitur. Secunda mensa bono stomacho nihil nocet, in imbecillo coacescit. Post multas potiones, quae aliquantum sitim excesserunt, nihil edendum est: post satietatem nihil agendum [12]). Quasdam observationes desiderant et novae res et corporum genera et sexus et aetates et tempora anni [13]). Quibus servatis ex reliqua victus consuetudine quam minimum mutari debet" [14]). Itaque pergit et sanis iisque, qui partem aliquam habeant infirmam, atque aegrotantibus praecepta afferre diaetetica et quoque fere capite victus rationem ad curationes necessariam vel utilem proponit. Denique in libri quinti praefatione addit: „Dixi de his malis corporis, quibus victus ratio maxime subvenit: nunc transeundum est ad eam medicinae partem, quae magis medicamentis pugnat. — Ut illa, quae victu curat, aliquando medicamentum adhibet, sic illa, quae praecipue medicamentis pugnat, adhibere

12) Cels. I, 2. passim.

13) Cels. I, 3. cf. totum cap. et prae ceteris paragraphos de diaeta ciborum potionumque et de autumnali diaeta.

14) Cels. I, 10.

etiam rationem victus debet[15]): *quae mullum admodum in omnibus malis corporis proficit*": et in libri septimi praefatione: „tertiam esse medicinae partem, quae manu curet, et vulgo notum et a me propositum est. Ea non quidem medicamenta atque victus rationem omittit[16]): sed manu tamen plurimum praestat".

Quibus de victus ratione *Celsiana* propositis quisque meam, quam de Celso habeam, sententiam comprobatam esse facillime intelliget eumque etiam in aquae usu paribus uti principiis mihi credet.

Verum enimvero ut universum aquae usum *Celsianum* satis perspicue possim exponere, tripartitum proferre opus est: primum igitur generatim agam de aqua: deinde aquae frigidae ac denique calidae usum tum internum, tum externum persequar: utriusque vero usum et ad servandam et ad reficiendam valetudinem singulatim exponam.

A. De aqua in universum.

Aqua omnium *imbecillissima* est[17]). Discernit autem Celsus aquam pluvialem (*Regenwasser*)[18]), fontanam (*Quellwasser*), ex flumine (*Flusswasser*), ex puteo (*Brunnenwasser*), ex nive aut glacie (*Schnee-oder Eiswasser*), ex lacu (*Teichwasser*), ex palude (*Sumpfwasser*), quae se ita sequuntur, ut levissima pluvialis sit, gravissima ex palude[19]): novit quoque aquam salsam (*Salzwasser*)[20]) et marinam (*Meerwasser*)[21]). *Pura*[22]) aqua est cum medicamentis non commixta: *levis* et *gravis* aqua pondere apparet: et ex illis, quae pondere pares sunt, eo melior quaeque est,

15) Id quod Celsus probat multis locis: sic V, 26, 34. 28, 3. 12. 16. VI, 6, 1. 11. 26. 35. 36. 7, 8.
16) Cf. VII, 3. 7, 15. 19. 26, 2. VII, 27. VIII, 10, 7.
17) Cels. II, 18.
18) Cf. Cels. II, 30. 33. V, 26, 34.
19) Cels. II, 18.
20) Cels. I, 3. II, 12. III, 9. 23. 24. 27. IV, 2. VIII, 10, 7.
21) II, 12. IV, 2. 24. Cf. III, 21. 27, 1.
22) II, 12. IV, 15.

quo celerius ex ea legumina percoquuntur [23]). *Dura* est ea aqua, quae tarde putrescit, ideoque pluvia potissimum [24]): diversa aqua est *tenera* [25]). Caloris gradus sunt in aqua multi: sic invenimus aquam gelidam (*eiskalt*) [26]), quam frigidissimam [27]), praefrigidam [28]), bene frigidam (*sehr kalt*) [29]), frigidam (*kalt*) [30]), egelidam (*kühl*) [31]), tepidam (*lau*) [32]), calidam (*warm*) [33]), bene calidam (*sehr warm*) *), ferventem (*heiss*) [34]). Aqua *decocta* [35]) est, vel ut purior, vel ut minus frigida sit. *Mulsa* s. aqua mulsa (*Wassermeth*) [36]) est aqua melle addito dulcis facta, secundum certam rationem parata. Adeo aqua a ferrario fabro (*Eisen- sive Stahlwasser*) [37]), in qua candens ferrum subinde tinctum erat, in usu est. De variorum aquae generum vi atque efficacitate pauca tantum addenda: *aqua tenera* alvum movet: *aqua* vel *tepida* vel *praefrigida* et *dura*, ideoque *pluvia* alvum adstringunt: *aqua a ferrario fabro* vel praecipue lienem coërcet.

B. De aquae frigidae usu.

Aqua frigida in universum Celsus dicit corpus refrigerari eaque quam frigidissima, sed etiam sic-

23) II, 18.
24) II, 30.
25) II, 29.
26) IV, 4.
27) IV, 19. 24.
28) II, 30.
29) IV, 15.
30) I, 1. 2. 3. 9. II, 10. III, 6. 9. 27. IV, 4. V, 26. VI, 14. 18. VII, 7, 5. 8. VIII, 10, 7. et al. saepiss.
31) I, 8. IV, 7. 18. 24. VI, 18, 11. VII, 7, 5. VIII, 10, 7.
32) II, 30. III, 12. IV, 8. 11. VI, 7, 4.
33) I, 1. 3. 7. 10. II, 12. 17. III, 6. 7. IV, 3. 8. V, 26. VI, 6. 10. VII, 7, 5. 10. VIII, 4. 6. 10. et al. saepiss.
*) I, 3.
34) I, 3. II, 24.
35) III, 23.
36) III, 6. IV, 4. et al. saep.
37) IV, 9.

cari [38]) et sanguinem supprimi [*]). Sanis de frigidae usu interno nil constituit, quum nullis obligare se legibus debeant: quamobrem modo vinum modo aquam sine incommodo bibere possunt: id quod interdum etiam in morbis commendat [39]): „ex toto, inquit [40]), neque vinum, neque aqua *semper* utilia sunt: medicamentum utrumque est, cum *invicem* assumitur.“

Primum igitur aquam frigidam ex intervallo bibere debent, qui crudum sine praecordiorum dolore ructant [41]): ubi vero expletus est aliquis facilius concoquit, si, quidquid assumpsit, potione aquae frigidae includit [42]): ita quoque convenit aquae potus *post vomitum*, si stomachus infirmus [43]): commendatur autem a Celso aquae potio in his morbis: in *febre ardente* [44]), *diarrhoea* [45]), *post vulnerationem* [46]); in *suppurationibus internis*, ubi pus ferri desiit, sed ita, ut ab egelidis tamen initium fiat [47]); in *sanguinis sputo*, si ex faucibus interioribusve partibus processit et si abest febris, sed sic bibendum erit, ut sciamus, huic morbo sitim prodesse [48]); in *calore stomachi ingente* potui, nisi quid obstat, gelida aqua praestanda [49]); in *dysenteria*, si pluribus diebus nihil remedia alia juverunt, vetusque jam vitium est, aquae bene frigidae potio assumpta ulcera adstringit et initium secundae valetudinis facit [50]); in *gangraena* denique aqua pluviali frigida

38) I, 3.
*) V, 1.
39) I, 3. 4. III, 2. IV, 4. 18. 25. et al. saep.
40) I, 4.
41) I, 2.
42) I, 2. cf. I, 8.
43) I, 3.
44) III, 7, 2.
45) IV, 19.
46) V, 26, 25.
47) III, 27, 4.
48) IV, 4, 5.
49) IV, 5.
50) IV, 15.

aegrotus uti potest pro potu [51]): et in tenesmo potio esse debet egelida et frigidae propior [52]): cui vero cibus coacescit, is ante eum bibere aquam egelidam debet et vomere [53]). Peripneumonia ubi incremento constitit, quantum res patitur, ab omnibus abstinendum est, praeterquam aqua egelida [54]). Si quis in balneo aestuat, reficit hunc ore excepta et in eo retenta frigida aqua [55]).

Optime Celsus exponit frigidorum balneorum et lavationum in corpus effectum: ex aqua frigida corpore pertractato interdum evenire, *ut horror oriatur et fiat initium quoddam novi motus: exque eo, quum magis corpus incaluit,* sequatur etiam morbi remissio (III, 9.).

Sanos adhortatur, ut interdum aquis frigidis utantur, interdum balneo (I, 1.): iis autem, qui parte laborent infirma vel morbo corripiantur, varia dat fere ubique consilia, quum saepissime usum aquae frigidae proponat.

Ac primum quidem de *fomentis frigidis:* haec vel spongia vel linamento ex aqua frigida expresso vel sola aqua conficiuntur. *Spongia ex frigida* utuntur podagrici et chiragrici (IV, 24.) et qui capitis dolore afficiuntur (IV, 2, 1.): adhibetur quoque ad vulnera glutinanda (V, 2.) et levis plaga juvatur, si ex aqua frigida expressa spongia imponitur (V, 26, 23.): simili ratione vulnera post trichiasis operationem (VII, 7, 8.) et paracentesim (VII, 15). *Penicillo* ex aqua frigida expresso brachium deligat post venaesectionem (II, 10.): *linamento* ad cicatricem vulneri inducendam (V, 26, 36.), *linteolo* in erysipelatis (V, 26, 33.) et theriomatis (V, 28, 3.) curatione, hic *bene expresso,* utitur. Frigida etiam aqua sanies e vulneribus (V, 26, 27.) abluitur, cutis vitia curan-

51) V, 26, 34.
52) IV, 18.
53) I, 8.
54) IV, 7.
55) I, 3.

tur (III, 6.): eaque si sanguis e cole exeso prorumpit ad sanguinem supprimendum adhibitur (VI, 18, 3 cf. V, 1.), et uvulae mediocriter tumenti subjicitur (VI, 14.).

Quemque Celsus mane, nisi hiems sit, os multa aqua frigida fovere jubet (I, 2.): similiter in balneo sani agere debent (I, 3.); sed iis etiam, quos assiduae lippitudines, gravedines, destillationes tonsillaeque male habent, os fovendum est (I, 5.) et iis, qui sanguinis sputo laborant. Cf. VI, 18, 11. VII, 7, 5. VII, 25, 1. VIII, 10, 7.

Aqua frigida interdum, cui oleum est adjectum, perfricantur (III, 9.): podagra autem vel chiragra affecti, si tumor calorque est, in aqua quam frigidissima articulos continent (IV, 24.).

Totius corporis lavatio frigida aestate sanis est aptissima (I, 3.), et consistere debent in frigido medicatoque fonte, quibus stomachus resolvitur (IV, 5.).

Frigidae natationes in regio morbo (III, 24.), in resolutione nervorum ac tum in aqua marina (III, 27.), quam frigidissimae in nimia seminis profusione (IV, 2.) et in stomachi resolutione commendantur.

Per caput aqua frigida in sole exustis *est perfundenda* (I, 3. *Douche*): nihil aeque prodest iis, qui capite infirmo (I, 4.), vel lippitudinibus (I, 5.), vel nervorum (I, 9.) et capitis (IV, 2, 1.) dolore vexantur, et insanis, qui nimia tenentur tristitia (III, 18.), et in morbo comitiali (III, 23.) et in resolutione linguae (IV, 2, 3.).

Aqua frigida, stomacho infusa et vertebris [56]), dolore nervorum laborantibus (I, 9.), nec minus ardenti febri (III, 7.) et stomachi resolutione correptis (IV, 5.), admodum est utilitati.

Totius corporis perfusio frigida in articulorum doloribus (I, 9.), in morbo cardiaco (III, 19.), lethargia (III, 20.), hysteria (IV, 20.), nimia seminis profusione (IV, 21.) intestinorumque laevitate (IV, 16.) laudatur.

56) Cels. IV, 5. „hinc perfundi frigida, atque in eadem natare, *canalibus ejusdem subjicere etiam stomachum ipsum et magis etiam a scapulis id, quod contra stomachum est.*“

Unicum denique remedium est (V, 27, 2.), hydrophobum nec opinantem in piscinam non ante ei provisam projicere et si natandi scientiam non habet, modo mersum bibere pati, modo attollere; si habet, interdum deprimere, ut invitus quoque aqua satietur: sic enim simul et sitis et aquae metus tollitur.

VITA.

Ego Hermanus Henricus Fridericus Zimmermann Longosalissae a. d. VIII. Cal. Septembres a. MDCCCXVII natus et confessioni addictus evangelicae inde a sexto aetatis anno primum scholas frequentavi patrias et publicas et privatas: tum anno aetatis quarto decimo parentibus mortuis Cl. Weidemann, Kleinjenae Pastori, traditus sum, ut magis erudirer atque aptus fierem scholae Portensi, ubi anno post (MDCCCXXXII) a Cl. Kirchner Rectore receptus per sex annos et dimidium hominum doctorum institutione usus sum. Examine denique, quod dicitur, maturitatis rite peracto inter cives academicos Jenenses a Cl. Guyet p. t. prorectore magnifico receptus Perill. Reinhold scholas frequentavi logicas et psychologicas, Cl. Haeser methodologicas, pharmacologicas, catagraphologicas, Cl. Koch botanicas, zoologicas, coleopterologicas, Cl. Suckow physicas et mineralogicas et geognosticas et pharmaceuticas; eundem audivi disserentem de geographia mathematica et physicali, Cl. Wolff de Goethei tragoedia Faust inscripta et de novissimarum litterarum Germanicarum historia, Ill. Huschke bis de anatomia, et de physiologia, eodemque duce interfui exercitationibus anatomicis practicis, Ill. Schüler de mineralogia et geognosia, Perill. Doebereiner de chemia, Cl. Schleiden de microscopii usu, Perill. Stark de pathologia et therapia generali, Perill. Suckow maj. de pathologia et therapia speciali, Cl. Schoemann de chirurgia, Cl. Martin de artis obstetriciae theoria, eoque duce mulierum quum gravidarum tum non gravidarum explorationem atque operationes obstetricias exercui.

Jam triennio praeterito Halas Saxonum petii ibique prorectori magnifico Cl. Bernhardy nomen dedi et ab Ill. Friedlaender t. t. decano in album gratiosi medicorum ordinis inscriptus tentamen ad res philosophicas et naturales exigendas, philosophicum dictum, superavi hisque interfui scholis: de morbis partium, quae concoctioni ciborum inserviunt, cutis, pulmonum, cordis Perill. Krukenberg, de akiurgia, desmologia et akologia, de ossibus fractis et luxatis, atque operationibus et chirurgicis et ophthalmiatricis institutis duce Ill. Blasius, de anatomia pathologica Ill. d'Alton, de historia artis medicae Ill. Friedlaender, de physiologia et de operationibus obstetriciis iisque in phantomate institutis Cl. Litzmann, de chemia medica Cl. Steinberg, repetitorio de anatomia Cl. Moser, et adfui exercitationibus anatomicis practicis Ill. d'Alton: scholas clinicas medicas Perill. Krukenberg, chirurgicas et ophthalmiatricas Ill. Blasius, obstetricias Ill. Hohl adii per annum. Quibus viris omnibus summe de me meritis gratias ago quam maximas semperque gratiam habebo.

Nunc vero tentamine philosophico atque examine rigoroso feliciter peractis spero fore, ut dissertatione hac edita sententiisque controversis defensis summi in medicina et chirurgia honores rite in me conferantur.

Sententiae controversae.

I.

Accurata veterum scriptorum cognitio summae medico est utilitati.

II.

Naturae rerum contemplatio, quamvis non faciat medicum, aptiorem tamen medicinae reddit.

Cels. I, praef.

III.

Anorganismi non carent vita.

IV.

Omnes morbi positi sunt aut in formae aut in mixturae mutatione.

V.

Longis morbis senectus, acutis adolescentia magis patet.

Cels. II, 1.

VI.

Repugnante natura nihil medicina proficit.

Cels. III, 1.

VII.

Omnes medicinae partes ita innexae sunt, ut ex toto separari non possint.

Cels. IV, praef.

VIII.

Ratio victus multum admodum in omnibus malis corporis proficit.

Cels. V, praef.

IX.

Est prudentis hominis eum, qui servari non potest, non attingere, nec subire speciem ejus, ut occisi, quem sors ipsius peremit.

Cels. V, 26, 1.

X.

Optimum in vulnerum curatione medicamentum quies est.

Cels. V, 26, 28.

XI.

Tumores quid intus habeant, ut conjectura praesagiri potest, sic ex toto cognosci, nisi cum ejectum est, non potest.

Cels. VII, 6.

XII.

Convenit simplex veri erroris confessio: praecipue in eo ministerio, quod utilitatis causa posteris traditur.

Cels. VIII, 4.
